

Hugo misericordie divina patriarcha Hiero-
solymitanus etc. Dilecto nobis in Christo fra-
tri Nicolao preposito monasterii in Miecchov,
sepulchri Domini Hierosolymitani ordinis
sancti augustini Cracoviensis Diocesis, salu-
tem et sinceram in domino charitatem. Ex
debito nostri officii curis assiduis angimur,
et continua meditatione pulsamur, ut ad id
opem et operam impendamus, quomodo eccle-
sie et monasteria universa nostra iuridi-
ctioni subiecta, pastorum regiminibus destitu-
ta, per nostre diligentia ministerium, viris
committantur idoneis, qui sciant, velint, et
valeant, ecclesiarum et monasteria ipsa eis
commissa, studiose regere, et feliter guber-
nare. Cum itaque quondam fratre Micha-
ele preposito dicti monasterii in Mie-
chow, sepulchri Domini Hierosolymitani,
per prepositum soliti gubernari, ordinis san-
cti Augustini Cracoviensis Diocesis, ut Deo
placuit, vita functo, dictum monasterium
in Miecchov, nobis et iurisdictioni nostre im-
mediate subiectum, per obitum dicti Micha-
elis vacavisset, dilecti nobis in Christo fra-
tres conventus eiusdem monasterii, ad so-
num campanae capitulariter et legitime
pro electione futuri prepositi facienda con-
gregati, te canonicum predictum, ordinem
ordinem ipsum expresse professum et
in sacerdotio constitutum, in eorum et di-
cti monasterii prepositum concorditer et
canonice elegerunt, tuque electioni, alias ti-
bi presentato Decreto, legitime convenisti, et
demum huiusmodi electionis negotium propo-
ni

ni fecisti coram nobis, et per tuum certum num-
cium, confirmationem electionis, huiusmodi a
nobis petendo institisti. Nos igitur ne mona-
sterium ipsum longe vacationis subiret incom-
moda, paternis et sollicitis studiis intendentes,
petitionibus et votis tuis, cui de religionis zelo,
literarum scientia, vitæ munditia, honestatem
morum, spiritualium providentia, et tempo-
ralium circumspectione, et aliis multiplicum
virtutum donis, apud nos fide digna testimo-
nia suffragantur, favorabiliter annuentes, di-
ctam electionem de te concorditer factam, ra-
tam et gratam habentes, ipsamque confirman-
tes, tibi de dicto monasterio, autoritate dicti
nostri officii providemus, teque illi præfici-
mus in præpositum, curam et administratio-
nem ipsius monasterii tibi in spiritualibus
et temporalibus plenarie committendo, fir-
ma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente
Domino actus tuos, præfatum monasterium,
per tue circumspectionis industriam et stu-
dium fructuosum, regetur utiliter, ac gratia
eisdem spiritualibus et temporalibus susci-
piet incrementa. Quis circa discretionem tuam
tenore præsentium committimus et mandamus,
quatenus impositum sibi onus regiminis di-
cti monasterii suscipiens reverenter, sic te
in eius cura salubriter exercenda diligentem
exhibeas, et etiam studiosum, quod dictum mo-
nasterium administratori fructuoso, et guber-
natori provido gaudeat se commissum, tuque
præter æternæ retributionis premium, no-
stram benevolentiam, et favorem exinde con-
sequi merearis. Præcipimus in super univer-
sis et singulis fratribus conventus dicti, et

aliis

1339

aliis quibuscunque, ut se pro eorum et dicto
 monasterio vero et indubitate preposita
 recipiant. Alioquin sententias, quas rite tu-
 leris in rebelles, ratas et gratas habebimus.
 Actum Ferrarie in palatio residentie no-
 strae, die decima quinta martii anno Do-
 mini millesimo quadringentesimo vicesi-
 mo sexto.

Ego Ludovicus De regio, publicus et
 authenticus imperialis notarius, de
 mandato dicti Domini patriarchae
 hanc scripturam scripsi, et signum
 meum conventum imposui.



[Faint, illegible handwritten text in a Gothic script, likely a Latin document or letter.]

[Faint handwritten signature or mark at the bottom right of the page.]